

sensum, ut reliquorum piscium, sed re-  
pente extenuatur, in unicam et latam  
pinnam degenerat: *Ventriculum* ha-  
bet amplum, et crassum: intestina la-  
ta et valde reflexa: hepar subalbidum,  
cui fellis vesica haeret.

Corio tegitur squammoso, cuius ta-  
men squammae serpentis potius quam  
piscis videntur; nam praeterquam  
quod eo ordine sunt commissae, ut  
lineas, cancellatum sese intersecan-  
tes constituant, firme etiam et valide  
adeo haerent, ut desquamari ne-  
queant; unde ita durum et asperum  
efficitur ejus corium, ut vix difeca-  
ri queat. Rondeletius sese exper-  
tum esse scribit, ne acutissimo qui-  
dem gladio penetrari posse, utque li-  
gna et ebora eo poliri possint. Quam-  
obrem jure Aelianus atque Oppianus  
marino Muri pellem praeduram tri-  
buere; et Athenaeus Aristotelis testi-  
monio, et si apud Aristotelem id nunc  
non legatur, inter pisces qui aspera

cute teguntur, καίπερ recensuit. Quod  
ad *colorem* attinet, ex livido viret,  
nonnullis parvulis notis caeruleis et  
rubentibus maculis quam plurimis  
in signiuntur. Estque totius piscis fi-  
gura valde compressa, et lata, atque  
fere orbicularis. Ad multam magni-  
tudinem non excrescit, duas enim li-  
bras raro excidit, unde merito Op-  
pianus et Aelianus eum haud magno  
corpo esse dixerunt. Hactenus il-  
le. Non maris duntaxat, sed et flu-  
viorum accola est, ut Plinius et Ari-  
stoteles scripsere. In amne Acheloo  
grunnitum habet. Vescitur carne,  
cancris, squillis atque testatis. *Soli-*  
*vagus* est, et raro capitur. Pugnacis-  
sum esse, tum quod pelle praedura  
tegatur, tum quod dentium robori  
confidat, Aelianus et Oppianus sub  
nomine Muris marini prodidere. Car-  
nem habet duram et suavem. Virus  
namque olet. Athenaeus inter σκλη-  
ρότατα retulit.

Arist. H. A.  
l. 4. c. 9.

Plin. H. N.  
l. 11. c. 51.

Aelian. H.  
A. 1. 9. c. 41.

## CAPVT VII.

## De Sturione.

TAB. XXIII. 8. 9. 10. 11.  
Aldrovand. de Piscibus l. 4. c. 9.

Piscis, quem nos Gothicō vocabulo  
Sturionem, quasi στερίων, quod  
rostro suo prorae rostratae speciem  
gerat dicimus, is Graecis nostri tem-  
poris ξυρίχης, quasi Oxyrinchus, Cy-  
priis teste Bellonio *Morona* vocatur.  
Nec est veterum *Lupus*, quod Poggio  
Florentino placuit, ut capite quarto  
hujus tituli innuimus: Nec *Attilus*,  
ut Franciscus Philephus voluit, cum  
*Attilus* is sit, qui hodie ab accolis  
Padi, veteri servato vocabulo Attina,  
Adilo et Ladino vocatur, piscis ipso  
Sturione amplior, effigie, sapore,  
pretio et tota fere natura ab eo diffi-  
milis: Nec, *Turso* Plinii, quod cre-  
didisse Theodorus Gaza creditur,  
cum hic Carchiae, id est, Caniculae, ut  
Archestratus apud Athenaeum com-  
probat, species sit, et cum Turso sive  
Phocaenae in Ponto catulos pariat,  
hic oviparus sit, et ubique nascatur.  
Nec *Hycca* seu *Hysca* ut Hermolaus  
Barbarus in epistola ad Cortusium  
prodidit, cum vel ipse Athenaeus, qui  
solus Hyccae meminit, qui piscis Hyc-  
ca sit ignoret, et duntaxat, a Calli-

macho sacrum pisces, a Cyraeneis  
*Erythrīnum*, ab Hermippo Smyrnæo  
Hyccam Julidem vocari scribat.

Nec *Delphinus*, ut Carolus Figu-  
lus voluit, quamvis in multis quoad  
formam convenient, quod iste omni-  
um veterum authoritate, inter cetos  
referatur. Niloum tamen Del-  
phinum, de quo apud Solinum le-  
ges, quemque Delphino potius simili-  
lem, quam Delphinum Marcellinus  
vocat, Sturionem existimare, nihil  
forte oberit.

Nec *Oxyrinchus*, veterum, cum  
hic Carnivorus sit, et hamo, ut apud  
Athenaeum legimus, capiatur. An  
pro Oxyrincho Caspio Aeliani, ha-  
beri debeat, comparatio ostende-  
re poterit. Circassi sane caeteri-  
que Moeotidis accolae, Sturionem  
Oxyrinchum vocant, si Gesnero et  
Scaliger credimus. *Silurum veter-  
um* esse Salvianus contra Manardum  
apud Aldrovandum ostendere cona-  
tus est, quem prolixissime agentem  
vide. Aufonii esse nullum dubium,  
et ita Sturio a Venantio Fortunato  
Picta-

Aelian. H.  
A. 1. 17. c. 32.